

Duos maximè fontes morborum statuunt: unum ex ipsa ægrotantis mente ortum, quæ desideret quidpiam, ac tandiu corpus ægrum vexet, dum re desiderata potiatur. Putant enim ineffe in hominum unoquoque innata quædam desideria, sæpe ipsis ignota, quibus singulorum felicitas contineatur. Ad ejusmodi desideria & innatas appetitiones cognoscendas adhibent hariolos, quibus hanc divinitus concessam facultatem arbitrantur, ut animorum intimos recessus pervideant. Illi, quodcumque primum occurrit, aut ex quo fieri quæstum aliquem posse suspicantur, ab ægro desiderari pronunciant. Nec dubitant parentes, amici, & confanguinei ægrotantis, quidquid illud sit, quantivis pretii, comparare ac largiri ægro, nunquam postea reposcendum. Ille dono fruitur, & lucri partem hariolis aspergit; ac sæpe postridie vita cedit. Vulgo tamen relevantur ægroti, quippe levibus tentati morbis: nam in gravioribus timidiore sunt isti præstigiatores, negantque inveniri posse quid ægrotus desideret: tunc eum depositum conclamant, auctoresque sunt confanguineis ut hominem tollant è medio. Ita longiore morbo vexatos necant, aut senio fessos; eamque caritatem summam interpretantur, quia mors ærumnis languentium finem ponit. Eandem benevolentiam adhibent erga pueros parentibus orbatos, quos nullos esse malunt, quam miseros. Alterum fontem morborum esse censent veneficorum occultas artes, & præstigias, quas ridiculis cærimoniis conantur averruncare. Sæpe noxios humores ejiciunt